

ducis Clevensis ac comitis Markensis, nec non omnium suorum, quem ad vos et ecclesiam vestram gerunt, non verbo et lingua, sed opere et veritate. Intendo etiam huic nonnulla inserere fiendorum, videlicet de castrorum et munitionum conservatione ac de consiliariorum et consiliorum qualitate, prout dominus dederit, et pro ingrato non capiat vestra magnificentia, si per simplicitatem minus plene minusque caute in hoc aliqua scribere praesumo, quae vestrae vel aliorum intentionis (f. 241^v) voto minime videantur expedire, cum non ut pater filio nec ut magister discipulo, sed ut avicula modica dulci quadam garrulatione memoriam excitans non imperando, sed consulendo pio bonoque zelo loquor in hoc opere. Scio enim vobis a deo talem datam ac tantam industriam naturalem, quod, si mente sollicita istis, licet parvis, velitis intendere, negotia vestra multo levius, multo facilius poteritis expedire.

His igitur generaliter praelibatis primo et ante omnia vos exhortor, ut in omnibus vestris factis semper deum prae oculis habeatis, iusta iudicia faciatis et fieri permittatis, ecclesias honoretis et presbiteros bonos ac honestos honore habeatis eosque non gravetis, sed ab iniuriantibus defendatis, discolos vero et malos corrigatis et corrigi faciatis, ne in vos et animam vestram eorum redundant mala opera. — Item viduas, orphanos, pupillos et pauperes ab iniuriantium et calumpniantium oppressionibus relevetis.

Publicas vias et strata terrae vestrae pro transeuntibus et venientibus tam incolis quam extraneis segura et libera conservetis, nec sit vobis aliquis ita carus, quem non puniatis, qui hanc violaverit libertatem, in his taliter vos habentes, ut mali vos timeant et boni diligant.

Item hereditates vestras et bona, iurisdictiones, iura et dominia in vigore conservetis et non minuatis, sed augeatis, sicut bonae memoriae pius ille dominus Fridericus vester fecit precessor.

Item vestros subditos inter se discordantes, quantum in vobis est, ad pacis concordiam revocetis.

Item non sitis in terra vestra spoliatoris receptator vel fautor, ne vobis (f. 242) contingat, quod pluribus dominis contigit, quos novimus, et contingat, ut pro ipsis vos oporteat spolia persolvere. De domino nostro predecessore vestro non audivi, quod spoliatores diligeret vel eis faveret, sed potius eos odiebat et, dum apprehensi fuerant, vivere non sinebat.

Item cum vicinis vestris dominis, civitatibus ac opidis, quantum in vobis est, amicitiam et concordiam continuatis,